



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Augustæ Vindel., 1772**

Caput XIV. De oocultis Dei judiciis considerandis, ne extollamur in bonis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

jugitur dares, patienterque proprium  
contemptum ferres.

## C A P U T XIV.

*De occultis Dei iudiciis considerandis  
ne extollamur in bonis.*

I. **I**ntonas super me iudicia tua Domine, & timore, ac tremore concutis omnia ossa mea, & expvscit anima mea valde.

Sto attonitus, & considero; quia cœli non sunt mundi in conspectu tuo.

Si in Angelis reperisti pravitatem nec tamen pepercisti, quid fiet de me?

Cediderunt stellæ de cœlo, & ego pulvis quid præsumo?

Quorum opera videbantur laudabilia, ceciderunt ad infima: & qui comedebant panem Angelorum, vidi filiis delectari porcorum.

2. Nulla est ergo sanctitas, si manum tuam Domine subtrahas.

Nulla prodest sapientia, si gubernare desistas.

Nul-

Nulla juvat fortitudo, si conser-  
vare definas.

Nulla secura castitas; si eam non  
protegas.

Nulla propria prodest custodia, si  
non adsit sacra tua vigilantia.

Nam relicti mergimur, & peri-  
miss: visitati vero erigimur, & vi-  
vimus.

Instabiles quippe sumus, sed per  
te confirmamur: te pescimus, sed a  
te accendimur.

3. O quam humiliter, & abjecte  
mihi de me ipso sentiendum est!  
quam nihil pendendum, si quid bo-  
ni videar habere!

O quam profunde me submittere  
debeo sub abyssalibus judiciis tuis  
Domine: ubi nihil aliud me esse in-  
venio, quam nihil, & nihil!

O pondus immensum! o pelagus  
intransmeabile: ubi de me nihil re-  
perio, quam in toto nihil!

Ubi est ergo latebra gloriæ? ubi  
confidentia de virtute concepta?

K 4      Ab-

176 *De Imitatione Christi*

Absorpta est omnis gloriatio tua  
in profunditate judiciorum tuorum  
super me.

4. Quid est omnis caro in conspe-  
ctu tuo?

*Nunquid gloriabitur lutum contra-  
formantem se?*

Quomodo potest erigi vaniloquio  
cujus cor in veritate subjectum est  
Deo?

Non eum totus mundus erigit,  
quem veritas sibi subjecit; nec on-  
nium laudantium ore movebitur, qui  
totam spem suam in Deo firmavit.

Nam & ipsi, qui loquuntur; ecce  
omnes nihil; deficient enim cum  
sonitu verborum: *Veritas autem Do-  
mini manet in æternum.*

C A P U T X V .

*Qualiter standum sit, ac dicendum, in  
omni re desiderabili.*

1. **F**ili, sic dicas in omni re: *De  
mine, si tibi placitum fuerit  
fiat hoc ita.*